

**Florus Biblicus Seu Narrationes, Ex Veteri Testamento  
Selectæ**

**Pexenfelder, Michael**

**[S.I.], 1711**

XXVII. Exploratio Chana[n]itidis imbell. &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64523](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64523)

suit; Sola DEUS reprehensione in eum animad-  
vertit.

## NARRATIO XXVII. EXPLORATIO CHA- NANITIDIS ET PUNI- TIO IMBELLUM.

Num. 13. 14. Anno Mundi 2545. Ante  
Ch. 1508.

**D**Emersis Arabico sinu, cum ipso Pharaone, turmis Cohortibusque Pharaonis; Moses, & præ Mose, Ductor Angelus, qui populum, omni sine clade transportârat, ingentem sibi apud Israëlitas fidem, auctoritatémque comparaverunt. Unde factum est, ut, quocunque deinceps locorum, ac regionum traherehantur, sécuturos se promptis animis, ac pedibus præ se ferrent. Sed ut mobile plerisque mortalium esse solet ingenium; longè verò mobilissimum Hebrææ nationi, promptitudinis illius ac obsequij constantiam non tenuere diuturnam; multò minùs perpetuam. Mutavit eorum mentes mutata loci facies, ab Ægyptiæ terræ culta forma plurimùm abludens. Ducebantur (& hoc, pér annos quadraginta) squalidissimis Arabiæ Petrææ solitudinibus; præcipueque Desertô Pharanicô, cuius longitudo, latitudineque vel ipsi Germaniæ, regionum Europæ spatiostissimæ, certare imqueat. Causa tam longæ circumductionis erat im-

bel-

bellis Hebræorum, quippe in servitute educato-  
rum, animus, & adversus hostium occursum meti-  
culosus.

Sed lehivit incommodorum pleraque; multa  
quoque sustulit, aut emendavit, DEI paterna Provi-  
dencia: nam Hebræis oberrantibus (ut sëpe jam  
dictum est) Ductorem dedit Angelum: ambigen-  
tibus Directorem Mosen, & Oraculum; Sacrificatu-  
ris Pontificem Aarónem; famelicis cælestem  
mannæ cibum: siti confectis aquas dulces, & vivos  
ëscopulis fontes: arsuris æstu solis, nubes ingens  
umbraculum: nuditate laboraturis, vestium invio-  
latam durationem: destitutis ope medica, corpo-  
rum firmitatem: domò carentibus, incorrupta pel-  
lum tentoria: vagis, in exilio medio, patriæ non-  
nullam faciem: nihil habentibus denique, semet-  
ipsum impendit, hoc est, OMNIA. Quod factum,  
ut si verè se, suaque bona novissent æstimare: desi-  
derare nihil, nisi modestiam, bonamque mentem  
potuerint.

Eò jam processerant in Deserto *Pharane*, ut non  
procul *Cadesbarne*, Moabitarum civitate, castra po-  
nerent; suscipitur hic consilium de Chananide,  
terrarum felicissima occupanda; quæ cum jussu di-  
vino, manu effet armata iuvadenda; illi suo magis  
timori, quam DEI imperio audientes, mittunt, qui  
regionis illius non fertilitatem modò, sed militare  
robur explorent; quâ pœnâ ignaviæ, mox recense-  
bimus.

Constitutum erat DEO Populum Hebræum, ma-  
ximis prodigijs ex Ægypto eductum, in promissam  
Chananidem, terram lacte, mellequr, hoc est,  
re-

rerum omnium ubertate manantem inducere, armis tameu & virtute capiendam. Nec erat difficultas futura pugna, quæ cælo auspice committenda. Sed quia contumacia non præter solitum capita, diffidentia opis ex alto ferendæ incessit, consultatur de re, quæ citra injuriam Numinis in deliberationem trahi non poterat. Mittuntur viri duodecim, to tidem tribuum primarij, in quibus *Iosue* & *Calebus*, cum mandatis, diligenter ut explorent regionem ad eò decantatae felicitatis, cùmque fide referant, uæ viderint, compererintque: & quando regio-  
*nis* illius fæcunditas tantopere prædicaretur, fructus ecum reportarent beatô solô natos, argumentum & specimen exploratæ terræ. Lustrant illi provinciam diebus admodum quadraginta, omnibusque exploratæ cognitis, referunt diversissimi affectus nuncium. Cæteros inter fructus apportatur ingentis magnitudinis palmes, recenti cum uva, supra Vectem duobus baiulis impositum. Ea telluris omnipotitas quantum allexit oculos, tantum absterruit animos ejus potiundæ difficultas. Exploratores quippe cæteri, præter *Iosuam* & *Calebum*, suo metu implere populum, malignis verbis in majus attollere regionis munimenta, urbium propugnacula, bellatorum robora, vasta incolarum corpora, quibus ipsi compositi, locustæ possint videri. Contrà *Calebus* & *Josue* suscipienda expeditionis elevare pericula, addere animos timidis, victoram audentibus polliceri. Cùm verò explorationis socij non desisterent aggravare discrimina; vincente denique spem metu, solvitur indignatio in querelas & lacrimas. Quid enim? tot mensium & viarum labores.

res frustra exantlatos ; vanis promissis aures impleri ;  
 terram ostentari i cuius possessionem nunquam sint  
 adituri : cum gigantibus bellum suscipiendum ;  
 graviora jam se perpeti fornacibus Ægyptijs ; satius  
 esse reverti eò, unde ventum , & inter homines ser-  
 vitutem pati non famelicam , quām cum liberis &  
 uxoribus miserrimè perire in vasta solitudine. Res  
 proximè seditionem erat ; onernantur contumelijs  
 ac vitiis gemini Ductores, Moses & Aaron ; jām-  
 que nihil restabat , absterruit concitatos insolitus  
 de coln̄ma fulgore terrificis radijs supra tabernacu-  
 lum evibratus. Steterunt aliquamdiu stupefacti  
 eō spectaculō cervicosi homunciones ; cūm vox e-  
 tiā aures de cælo ferijt, cum minis pestiferam lu-  
 cem intentantibus ; objecit iterum preces supplex  
 Moses, irasque Numinis hactenus mitigavit, ut jussi  
 redire viā , quā venerant , ( quid enim aliud mur-  
 muratio vesana quærebat ) longis annorum qua-  
 draginta ambagibus per deserta vagarentur ; nem-  
 nique omnium , qui vigesimum ætatis annum spe-  
 rārat, decretoriā supremi Numinis sententiā , pa-  
 teret aditus in fortunatam Chanantidis terram,  
 præterquam Josuæ & Calebo. Primi omnium de-  
 cem exploratores illi timiditatem suam subita mor-  
 teluerunt ; quō suppliciō ceteri , more suo percul-  
 si, dum aggrediuntur rebellionem ignavam forti-  
 bus factis corrigere , ut stulti, dum vitant vitia, in  
 contraria currunt ; præposterā ruunt audaciā præ-  
 cipites, & inconsultō Deō , Moséque dehortante,  
 movent in *Amalecitas* & *Amorrhaos*, alpestres Cha-  
 nanæe ragionis incolas ; magnāque funduntur cla-  
 de. Qui hostilem effugerunt gladium , seris lacri-  
 mis

& Mosen, (quorum erat consobrinus, quippe *Iaschit*  
genitus, fratre *Amramis*, illorum parentis) exau-  
toraret, *Dathanem* sibi & *Abironem* adjunxit, homines  
potentes & factiosos: & per hos, spectatissimum  
quemque, populōque maximē venerabilem ad par-  
tes suas traxit, ut conjuratorum convenienter du-  
centi, quinquaginta, patritij generis omnes, con-  
siliique publici Senatores; quorum omnium eō re-  
dibat Summa conjurationis, ut Mosen, Aaronē-  
que magistratu depellerent: Huic Coren; illi,  
quemcunque visum foret, ē corpore suo subroga-  
rent: ceteri sortibus inter se jactis, sacerdotia minora  
caperent Leviticæ stirpis essent: Aliarum autem  
stirpium tribules, populi præturas, præfecturas,  
tribunatūsque sibi partirentur. Quæ cuncta munia  
factiosi spe jam devorârant; adeò certā quidem, ut,  
qui Sacris obeundis inhiabant, intra tentoria sibi  
quisque clanculūm acerras, thuribulāque præparan-  
da curarent: uti, cùm tempus pastulâset, ad ado-  
lendum accincti, progrederentur.

Jámque satis omnibus compositis, cùm  
ingenti cuncta motu, tumultuque misceren-  
tur, crescente pessimorum hominum collu-  
vie, conveniunt *Coritæ* pro divini Tabernaculi fo-  
ribus, cum suis singuli thuribulis æneis; aderant &  
*Aaron* thuribulō Pontificis aureō, *Moses* autem  
virgā Iudicis instructus; hic corām maxima populi  
frequentia, quæ dixisset, fecissetque, Divini juxta  
præceptum Oraculi non ambitionis suæ coñentō,  
dicta, factaque contestatus, dehiscentis terræ se-  
pulchrum, & ignium Inferorum supplicia inter-  
minatur rebellibus, linguas impias in *Deum* potius  
ipsum

mis temerarium damnantes consilium , ad Arabica  
& inhospita saxa redierunt ; mox etiam ad ingenii  
um suum reversuri ; id quod in **Coritarum** seditione,  
de qua statim memorabimus , nimis quam palam fe-  
cerunt . Terra Promissionis cœlum est , quod si pro  
uberiore telluris gleba & viribus fuit opus , & animo ,  
dextraque præsentis ! quam confidentia sperant igna-  
ris ? cœlestipatria se posituros , manibus in sinu com-  
pressis , cum tamen asseverante supremo Imperatore ,  
*Regnum Celorum vim patiatur , & violenti ra-*  
*piant illud.* Matt. 11.

## NARATIO XXVIII. SEDITION ET IN- TERITUS CORAE DATHANIS, ABIRONIS, AC SOCIORUM.

Num. 16. Anno Mundi 2546. Ante Ch. 1505.  
Item pœna violati Sabbathi. Num. 15.  
blasphemiae. Levit. 24. neglectae  
religionis Levit 10.

**C**ertus ad interitum gradus est , ambitioso ferrī  
in honores animo . Aaronem Deus supre-  
mum Sacrorum Pontificem ; Mosen vero ,  
tum Civilium causarum Judicem , tum Divinæ  
quoque voluntatis Internuntium declararat . Pun-  
gebat ea res *Coren* quendam , de Optimatum numero ,  
*Levitica* virum propaginis , qui ut Aaronem simul  
& Mo-